

1545 Juli 10 Hermann: »Appellatio contra certos quosdam homines«

REVERENDISSIMI ^a IN CHRISTO PATRIS AC DOMINI domini Hermann, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, sacri Romani Imperii per Italiam Archi- cancellarii, Principis Electoris, Westphaliæ & Angariæ Ducis, Legatique nati & Administratoris Ecclesiæ Paderbornensis, Appellatio¹ contra certos quosdam homines ex Venerabili Capitulo Coloniensi, Clero item & Universitate, eorumque præsumpta sive gravamina, sive appel- lationem, nuper interposita: ex qua pius lector cognoscet, quicquid a prædicto ² Archiepiscopo pro augenda & amplificanda gloria Dei, eiusque Ecclesia rite & sancte administranda pie susci- pitur, universum illud a quibusdam adversariis parum liberaliter in criminatio- nes adduci. [Wappen] Anno M.D.XLV	Des Hochwürdigen Vaters in Christus, Herrn Hermann, Erzbischof der heiligen kölnischen Kirche ... Berufung gegen gewisse Männer des ehrwürdigen kölnischen Domkapitels, der Geistlichkeit und der Universität, ihre Vorurteile und Beschwerden oder den kürzlich vorgelegten Einspruch, aus der der fromme Leser erkennen möge, was alles von dem ober erwähnten Erzischof zur Mehrung und Verbreitung des Ruhmes Gottes, zur ordentlichen und frommen Leitung der Kirche unternommen wird, daß jenes Werk von gewissen Gegnern wenig anständig in Verleumdungen verdreht wird. 1545
----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------

<2>

In nomine Domini, Amen. Noverint universi præsentis literas inspecturi. Quod anno a
nativitate eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi Millesimo quingentesimo quadragésimo
quinto, indictione quarta, secundum usum, stilum, & consuetudinem scribendi in Civitate &
Diocesi Coloniensi die quidem Veneris, decima mensis Iulii, hora quinta post meridiem, Imperii
Sacratissimi & invictissimi Principis & Domini D[omi]ni Caroli, huius nominis quinti Romano
Imperatoris semper Augusti, ac Hispania Regis &c. Domini nostri clementissimi Anno vicesimo
quinto, Reverendissimus in Christo Pater, illustrissimus, Princeps Dominus, Dominus
Hermannus, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam
Archicancellarius, Princeps Elector, Uvestphaliæ & Angariæ Dux legatusque natus, ac
Administrator Ecclesiæ Paderbornensis &c. Dominus meus gratiosissimus, coram Venerabili
viro Adamo Richardi, Decano Ecclesiæ sancti Cassii in Bonna, tanquam spectabili persona, &
dignitate Ecclesiastica insignita, in præsentia ipsius Reverendissima gratiæ Syndici, meique
Notarii, & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum in arce Brula
constitutus, atque manibus tenens quendam appellationis, provocationis, Apostolorumque

¹ „Appellatio“ ist – im Unterschied zur Nichtigkeitsbeschwerde – ein Rechtsmittel des kanonischen
Prozessrechts zur materiellen Anfechtung eines Urteils in rechtlicher oder tatsächlicher Hinsicht.

² Hier zeigt sich die erste Abweichung der hier benutzten Münchner Ausgabe von der Berliner:
München schreibt „prædicto“, Berlin schreibt „pređicto“; ausserdem ist der linke Balken des
grossen A in der Münchner Ausgabe länger. Auch der Satzspiegel ist in der Münchner Ausgabe
grösser.

petitionis infra scripti tenoris libellum, animo & intentione a quibusdam illiberalibus præsumptionibus, novationibus, recusationibus, iniuriis illatis, & quæ porro inferri possint, {citra revocationem quorumcunque Procuratorum hactenus per ipsius gratiam Reverendissimam qualitercunque constitutorum} ibidemque in medium proposuit, atque perspicua & intelligibili voce dixit & collegavit. Quod superioribus aliquot mensibus quædam prætensa³ appellatio, nomine Reverendorum Illustrium, venerabilium, egregiorum, ac religiosorum Dominorum, Subdecani, & Capituli Metropolitanæ, totiusque universitatis primarii & secundarii cleri, nec non etiam Magnificorum, eximiorum, ac doctissimorum virorum Dominorum Rectoris & deputatorum quatuor facultatum Universitatis studii civitatis Coloniensis, a quibusdam prætensis, ut illi aiunt, novationibus, ac gravaminibus per Reverendissimam ipsius gratiam ipsis, ut asseritur, illatis, taliter qualiter interposita fuerit. Ad quam licet ipsius gratia Reverendissima ædita confutatione statim responderit, ac deinde etiam reliqui tres Ordines, sive Status provinciæ Coloniensis, [A ii]⁴ <3> præter eas rationes, oblationes, excusationes, quas ipsius Reverendissima gratia plenas, omnis honestissimæ æquitatis & petitionis sæpissime oratione et scriptis literis adduxit, precatu, ut universa huius causæ decisio ad constituendam Christianam & æquabilem Religionis ac doctrinæ rationem committatur bonis, eruditis, pacis publicæ studiosis aliquot viris, prædictum Venerabile Capitulum, Clerum, & Universitatem rogarunt, desisterent ab incoepta & parum liberaliter proposita appellatione, nec paterentur certos quosdam assertores, nomine quo supra prætensam appellationem contra eius Reverendissimam gratiam urgere & persequi, sed id agerent & efficerent, ut ab ea incoepta plane desisterent, admitterentque quod ipsius gratia Reverendissima cum summa pietate & concordis studio peteret, neque committerent, ut certorum hominum cupiditatibus totius Provinciæ, imo potius Ecclesiæ Christianæ tranquillitas videri possit postposita esse: Nihilominus tamen Reverendissimam ipsius gratiam re ipsa in dies magis ac magis experiri, adversariorum pertinax quoddam & insidiosum lædendi studium eo converti, uti ipsam gratiam Reverendissimam præter omnes adductas rationes, defensiones, oblationes, deprecationes, honestasque excusationes contentur in gravissimas & impias criminationes adducere, dignitate omni ac debita reverentia exuere, exutam multorum contumeliæ prostituere, non sine gravi totius provinciæ adeoque tranquillitatis Christianæ perturbatione, summaque animarum pernicie. Et quia ipsius Reverendissima gratia his tam indignis iniuriis & gravaminibus se præter omnem pietatem lædi sentit, verita ne deinceps gravius lædatur, Idcirco omnibus melioribus, modo, via iure, causa, & forma, quibus melius & efficacius potuit & debuit, potest ac debet, coram prædicto Domino Decano, Syndico ac me Notario, etiam testibus infra scriptis, provocavit & appellavit, Apostolosque saltem testimoniales sibi dati, primo, secundo, tertio, instanter, instantius, & instantissime petiit, subiiciens se ac suos, ac quascunque personas huic appellationi adhærentes, & porro adhæsuras, Ecclesias, Monasteria, & pia loca, res quoque, & bona, iura, privilegia, libertates statuta, consuetudines, & observantias laudabiles, novas & antiquas, singulari protectione atque tuitioni liberi Christiani & generalis seu nationalis Concilii, aut Imperialis conventus, cum protestatione ne quid appellatione hac pendente, a quopiam attentetur vel innovetur, seu attentari debeat, alioqui de nullitate omnium eorundem ac damnis, & iniuriis & interesse propterea passis & illatis, patiendisque & inferendis, contra huius modi attentantes publice & expresse protestabatur, Cæteraque

<4>

³ Die Müncher Ausgabe benutzt sowohl das æ als auch das e: „quædam prætensa“.

⁴ Hier endet die erste Seite der Berliner Ausgabe.

omnia & singula sese facere dixit & fecit, quæ in sequenti appellationis Libello amplius continentur, Cui quidem Reverendiss[imo] Archiepiscopo Coloniensi prædicto, sicut dictum est, appellati & provocati, etiam Apostolos petenti, prænominatus Dominus Decanus, & ego publicus Notarius infra scriptus, coniunctim & divisim, Apostolos testimoniales, ac alios tales quales de iure melius & efficacius dare debuimus & potuimus, dedimus & assignavimus, damus & assignamus, præsentis publici Instrumenti tenore. Super quibus omnibus & singulis præmissis prædictus Reverendissimus Archiepiscopus Coloniensis Princeps Elector, Dominus meus gratiosissimus, a me Notario publico infra scripto, unum vel plura, publicum vel publica confici atque dari petiit instrumentum & instrumenta in meliori forma.

Acta fuerunt & sunt hæc Brulæ in arce Reverendissimi Archiepiscopi prædicti, sub anno Dni, Indictione, die, mense, hora, & imperio, quibus supra. Præsentibus ibidem Validis, egregiis, ac discretis viris, Hermanno a Vischenich præfecto in Bruel, Ioanne Richvino Iurium Licentiato, Constantino Tricht præfecto in Gudesberg &c. & Iohanne Briell testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis.

Tenor vero Appellationis pergamenæ cædulæ, de qua supra sit mentio, sequitur de verbo ad verbum, et est talis.

<5>

CUM VIS NULLA GRAVIOR inferri, nulla offensio ad perturbendam Christianæ Reipublicæ tranquillitatem excogitari possit vehementior, quam retardare ac impedire, ne vetus Ecclesia Evangelicis literis, Prophetarum ac Apostolorum scriptis conformata, in eam veræ Religionis, pietatis, & doctrinæ lucem splendoremque adducatur, unde superioribus annis, labente disciplina vetere, in prodigiosas quasdam cæremonias, ac doctrinæ depravationem deiecta est recteque cum humano, tum etiam divino iure ac lege inductum sit appellandi remedium ad defensionem, allevatio nemque eorum, qui præter leges & æquitatem in gravem vitæ, fortunæ, ac dignitatis dimicationem periculumque adversariorum odio adducuntur, magnam certe & necessariam causam habemus, nos – Hermannus Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis, Princeps Elector &c. – quamobrem coram honorabili dilecto Adamo Richardi, Decano collegiatæ Ecclesiæ Bonnensis, tamquam spectabili persona, etiam Syndico nostro nec non Notario publico, & testibus hic præsentibus, de iis iniuriis, gravaminibus, novationibus, recusationibus, & maximis offensionibus provocemus, protestemur, atque appellemus, quæ nobis factione & insidiosis conatibus certorum hominum ex venerabili Capitulo nostro Coloniensi, Cleri, item & Universitatis, illiberaliter illatæ sunt, & inferri gravius porro possint ac proinde etiam appellandi, provocandique animo dicimus, conquerimur, & allegamus.

Quod cum in reformandis Ecclesiis, quæ foedis & impiis hominum erroribus conspurcatæ videntur, cum primis ad sacrosanctum Dei Evangelium, Prophetatum atque Apostolorum doctrinam spectandum sit, ad eiusque rationem, veluti certam & firmam Ecclesiæ Dei bene ac sanctæ gerendæ regulam, omnia referenda sint, ac corrigenda, quæ vel hominum erroribus, vel doctrinæ depravatione, vel abusu impietate in peius corruerunt. Nos autem {quod sine ulla nostri arrogantia dictum velimus} eo ingenii nostri vim, studia, atque vitæ actiones, libenter, & pro imposita nobis pastorali cura convertamus, hoc intueamur, ut quod publico omnium bono ac saluti esse possit, Ecclesiam a multis & magnis erroribus repurgemus, illiberaliter sane & præter omnem pietatem [A iiiii]

<6>

faciunt adversarii prædicti, quod tam sanctum & pium nostrum conatum provocationis temeritate retardant: & cuius iuvare studia in re præsertim Christiana, & omnis dignitatis plenissima magnopere debebant, eius actiones omnes, & quicquid pro reformanda Ecclesia, quæ

hominum erroribus ac doctrina impia misere corrupta iacet, pie a nobis vel suscipitur vel proponitur, varie ac cupide perturbant, in gravissimasque & falsas criminationes adducunt. Nam cum omnes, qui salvam esse Christianam Rempublicam cupimus, hoc spectare præcipue debemus, ut extet vera DEI Ecclesia nulla doctrina falsa aut hominum erroribus defoedata: tum nulla laus maior, quam eius hominis esse potest, qui nulla re perinde, atque communi virtutis voluntate commotus, verbum Dei divinitus nobis in Scripturis sacris revelatum, cunctis proponit amplectendum: qui omnes res bene ac præclare gerendas, omnes vitæ actiones, omnes denique animorum sensus, ad illius regulam ac normam conformandas esse existimat. Est enim verbum Dei, certa quædam ac inflexibilis regula, ad quam omnes nos actiones nostras componere oportet. Neque dubium est, quin nihil verbo Dei vel addendum vel detrahendum sit, aut ulla falsa doctrina, ulla idolatria, impiusque ac prophanus cultus in Ecclesia & populo Dei sit tolerandus, sed potius quamprimum abrogandum, ex omnique hominum memoria delendum sit, quicquid a verbo Dei, a Prophetarum & Apostolorum scriptis sit alienum ac dissentiens: id quod exempla Patrum, Moisis, Davidis, Iosue, Iosaphat, aliorumque Prophetarum veteris Testamenti abunde testantur, & confirmat vox illa de Coelo facta, & in novo testamento comprehensa: nempe „Hic est Filius meus dilectus“⁵, ipsum audite. Et rursus: „Oves meæ vocem meam audiunt,“⁶ & non cognoscunt vocem alienorum. Quemadmodum etiam Apostolus Paulus voluit anathema esse, si Angelus de Coelo aliud Evangelizasset: quoniam fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Sic enim omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ac corripiendum, & ad erudiendum in iusticia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Neque aliud Canonicis sanctionibus docetur, quam solum Christum audiendum esse: nec attendendum, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid primus, qui ante omnes est Christus, faciendum esse præceperit. Neque enim hominis consuetudinem sequi nos oportet, sed DEI veritatem, Cum per Esaïam Prophetam loquatur & dicat

<7>

Dominus: Sine caussa, inquit, colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Satisque constat in spiritualibus sequendum esse, non quod consuetudine introductum est, sed illud quod a Spiritu sancto melius extitit revelatum. Semper enim veritas præponenda est consuetudini, utpote quæ veritatis præsidio destituta, verustas erroris est. Et alibi Augustinus: Ego solum, ait, iis Scriptorum authoribus, qui Canonici appellantur, hunc honorem referre didici, ut nullum eorum scribendo errasse credam: Et quis nesciat omnium Episcoporum scriptis sacram Scripturam præponendam esse: Ita ut de illa dubitari disceptarique non possit, utrum verum vel utrum rectum sit quicquid in ea scriptum est, vel constiterit esse.

Et sane proprium ac peculiare munus seu officium Episcopi est, curare videlicet, ac diligenter providere, ut populus suæ fidei concreditus, non solum recta sanaque doctrina erudiat, verum etiam errores atque abusus, si qui in Ecclesiam irreperint, gladio divini verbi resecentur: atque adeo, ubi mea apostoli, & qui eos securi sunt sancti Patres, sententialiter aliquid diffinuerint, id usque ad animam & sanguinem confirmare, nedum quicquam, quod in contrarium quoquo modo inductum sit, aut prava consuetudine, ac moribus malis in Ecclesiam irreperit, tolerare vel dissimulare: Sed in eam potius animi curam incumbere, ut uni cum aliis Episcopis & Clericis suis, si possit, sin minus, ut solus Ecclesias suæ fidei commissas ita procuret, ne idoneis destituantur Ministris, qui & velint & possint plebem pabulo sermonis Evangelici

⁵ Matth. 3,17.

⁶ Joh. 10, 27.

reficere: Sacramenta fideliter & iuxta ritum vere Apostolicum administrare, & salutarem disciplinæ professionem in fide Christi universo populo proponere.

Hæc enim duo sunt veri Pontificis opera: ut scilicet a Deo discat Scripturas divinas legendo, & sæpius meditando, & ut populum doceat. Sed ea tamen doceat, quæ a Deo ipse didicerit, non qui ex proprio corde, vel sensu humano ipse sibi desumpserit, Utque exemplo Apostoli Die oportune & importune docendo instet: Ecclesiamque suam amare, instruere, ac prudenter regere satagat: vitia ipse nec habeat, nec in aliis ferat: omniaque summo studio et perpetua erga DEUM voluntate faciat, quæ cum salute æterna sunt coniuncta. Et quem admodum hæc vera & solida sunt Episcopi officia in Ecclesia DEI bene ac foeliciter regenda: ita contra Ecclesiam sive populum CHRISTIANUM magnopere decet, ad eorum se præceptiones,

<8>

doctrinam atque institutionem conformare, qui omnes labores pro augenda & amplificanda gloria Dei suscipiunt, suspicere, & cum magna reverentia imitari doctrinam sui Episcopi, eundemque non aliter quam Dei Legatum & veritatis præconem amare, Imo si ita vel causa vel casus etiam postulat, eundem suum Episcopum, in caussa maxime honesta & necessaria, qualis potissimum est Religionis, ac fidei Christianæ propugnare ac tueri: propterea quod Episcopus in eiusmodi fidei atque Religionis caussa, possit etiam contra generalia Concilia & Canones statuere & ordinare.

Hæc caussa, si nos in hac gravissima nostra Episcopali functione non commoveret, ut laborantis Ecclesiæ, in maximam doctrinæ de pravationem adductæ, partes omnes in tutelam ac fidem nostram suscipere velimus: si non naturæ impetu, & perpetua in christianam Rempublicam voluntate impelleremur, ad repurgandos Ecclesiæ errores: tamen hanc operam, quam soli Deo impendimus, detrectare bona conscientia non possemus: propterea quod nostro nos deesse officio a Deo nobis iniuncto non oportet & nemo ignorat in Comitibus Ratisponæ per Cæsaream Maiestatem Dominum nostrum clementissimum, reliquosque Imperii Ordines, graviter constitutum, iniunctumque esse omnibus in universum Episcopis, Ecclesiæ Prælati, ut ipsi inter se & quisquis apud suos, Christianam Reformationem conciperet, cæterisque imitandam proponeret, quæ ad decentem & salutarem Ecclesiarum administrationem usque ad futurum generale aut nationale Concilium deserviret. Item integrum ac liberum relictum esse Statibus Imperii, in suis ditionibus de Religione Christianæ ac pie constituere, Decretumque Augustanum, quantum ad religionem spectat, in posterum locum potestatemque nullam habiturum, quod & nuperrime Spiræ in Comitibus rursus renovatum & confirmatum est.

Quanquam autem in hoc ætatis nostræ declinantis curriculo, & gravi quodam flexu, nihil maiore studio optemus: quam ut omnia in Ecclesia Dei tranquilla, pura, & ad IESU Christi, Prophetarum atque Apostolorum doctrinam esse possent conformata: cum tamen nos in hanc reformandæ Ecclesiæ curam ultro incumbentes superioribus annis, Comitibus indictis, admirabili consensione rogarent Diocesanos ac provinciæ nostræ Coloniensis ordines omnes, præcipue vero Venerabile Capitulum nostrum, ut juxta Ratisponensem

<9>

recessum Diocesi nostra, piam & salutarem Ecclesiis reformationem non nomine duntaxat, sed potius re ipsa constituere vellemus, eoque facto, animique iudicio plane confiterentur, priorem eam videlicet Reformationem, quæ anno tricesimo sexto [=1536] in Provinciali, ut vocant, Concilio, sub nomine & titulo nostro, ædita est, nequaquam ad tam arduum negotium piæ & salutaris Ecclesiasticæ Reformationis sufficere posse {quemadmodum etiam ad constituendam veram & solidam Dei Ecclesiam satis esse: aut invecos errores repurgare non potuit} detrectare hanc operam, aut negligere Ordinum ac Statuum nostrorum, præcipue vero Venerabilis nostri Capituli voluntatem petitionemque amplius non debebamus:

quo minus id quod tantopere desyderabatur, tandem præstaremus: formam videlicet, aut consultationem Ecclesiæ ac Religionis pure, recte, & pie, constituendæ. Quod etiam eo maiore cum studio ac sollicitudine faciendum nobis esse putavimus, quod non ignoraremus, quam multa & passim, præcipue vero in eam Ecclesiam, cui nos præfecti sumus, irrepsissent, quæ cum verbo Dei, & veteris Ecclesiæ typo, cum Prophetarum ac Apostolorum doctrina plane pugnant: adeoque omnia recte vivendi præcepta, pessimis hominum erroribus, abusuum vitiis, & consuetudine mala depravata esse, ut vix vestigium aliquod primitivæ illius ac veræ Apostolicæ ac Catholicæ Ecclesiæ superesse videri possit. Nam & sacerdotes, & quicumque regendis Ecclesiis, atque administrandis Sacramentis, docendoque populo præfecti fuerant, in eam officii pastoralis neglectationem coniecti sunt ocio, luxu, ac corporis mollicie fracti: ut nec ipsi solidam Scripturarum cognitionem ad instituendam plebem adferre: nec alios pie ac recte docere potuerint, quod ipsi negligenter non didicissent: contenti pro Catechismo ineptas quasdam & pueriles traditiones, pro veritate Evangelii, prophanas & impias hominum assertiones docere. Quo etiam factum est, ut Sacramentorum vera illa & salutaris dispensatio, una cum Ecclesiæ disciplina prorsum neglecta fuerit ac conculcata. Unde desolatio Parochiarum ac horribilis quædam vastatio in populo Dei consecuta fuit, quæ non solum nos, sed omnes in universum Episcopos ad Christianam vereque: piam & salutarem Reformationem ex debita Pastoralis officii sollicitudine incitare ac compellere merito debebat.

Hanc Ecclesiæ laborantis & prope depositæ curam, cum ad animum memoriamque revocaremus, non destitimus eos præsertim, qui ex

<10>

Venerabili Capitulo nostro, & Clero Coloniensi, plus cæteris & animis & industriæ ad hanc rem conficiendam conferre posse videbatur, movere & rogare, ut rationem aliquam ac formam solidæ ac Christianæ Reformationis conciperent. Quoque maturius istud ac commodius præstare possent, iisdem una cum certis aliis ad hanc rem delectis, materiam ac veluti sylvam quandam futuræ Reformationis exhibuimus, mandantes, ut quæcunque scripta ac tradita essent, quam diligentissime in Domino Iesu Christo expenderent, suumque iudicium, quæ addenda vel referenda forent, libere & sincere interponerent. Et ut omnes laborantis ac desertæ Ecclesiæ partes in integrum statum restituerentur, negocium eisdem dedimus inveniendi ac deligendi verbi Dei Concionatores, qui Ecclesiæ sanctæ gerendæ, sacramentis administrandis, erudiendoque populo præesse possent. Nolumus enim in hoc gravissimo ætatis nostræ deflexu, tanquam postremo vitæ curriculo quicquam omittere, quod cum solida & perfecta Reformandæ Ecclesiæ ratione videri possit coniunctum, idque eo consilio, quo nos sylvam seu materiam, sic ut præmittitur, ab iisdem Deputatis revisam, deinceps Capitulo nostro & reliquo Clero amplius expendendam offerre possemus.

Qua tamen in re ac pia sollicitudine nostra, quam hactenus restaurandæ Ecclesiæ impendimus, vehementer dolendum, etiam ægre ferendum est, non potuisse nos, id quod pie & legitime petebamus, ab iis, qui ad curam ac rationem ineundæ ac concipiendæ Reformationis veræ Religionis delecti & deputati essent, obtinere aut consequi. Nam præterquam, quod sylvam seu materiam prædictam diu admodum ac longo tempore apud se retinuerint, ac concipiendæ plenioris Reformationis munus de die in diem extraxerint, etiam de fidelibus verbi ministris, ac Concionatoribus prædictis diligentiam aliquam adhibere non curaverunt. Ne illud addamus, quod tamen dissimulare sine iusto animi nostri dolore non possumus, nos ex inspectione materiæ seu sylvæ prædictæ, posteaquam ea tandem per eosdem Delectos seu Deputatos revisa, ac nobis restituta fuit, in veritate comperisse, prædictos Delectos seu Deputatos in revisione seu collatione multorum articulorum ad vere piam & CHRISTIANAM Reformationem utiliter & necessario pertinentium, veritatem divini verbi, ac vere Apostolicam traditionem privatis ac

humanis suis affectionibus postposuisse: variosque abusus ac errores, contra verbum DIE, vere Apostolicas traditiones subortos

<11>

palliasse verius quam emendasse. Quamobrem cum præter spem expectationemque nostram agnosceremus, restituendæ Ecclesiæ ac veteris doctrinæ curam a Deputatis deponi, nec ullam admitti seriam actionem, qua Ecclesiis tam misere collapsis, re ipsa succurri posset, desolationem vero & vastationem Ecclesiarum in dies horribiliter augeri, doctrinam subinde magis magisque corrumpi, Sacramentorum administrationem perverti, & {quod sine cuiusquam iniuria in tota hac caussa dictum esse velimus, de eoque protestamur} cum portentosas Idolatrias immane multiplicari, eos Parochiis præfici, sacerdotiis cumulari, a quibus nihil quam totius veteris ac veræ Religionis confutatio expectanda foret, videremus: cum denique intercisa spe omni, nihil subsidii in nostris, ad hanc rem conficiendam reliquum esse plane perspiceremus, coacti sumus, in re tam ardua & necessaria constituenda, aut aliorum bonorum ac piorum virorum opera uti, aut conceptum semel, ac diu desyderatum Reformationis opus intermittere prorsus ac deserere. Quorum alterum ut faceremus, ipsius caussæ magnitudo postulabat: alterum sine impietate facere non potuimus.

Idcirco ne diutius a spinis uvas, & a tribulis ficus frustra colligere velle videremur, quosdam boni testimonii viros, rerum spiritualium peritos, & qui nuper a Cæsa. M. & Statibus Imperii Ratisponæ ad huiusmodi negocia adhibiti, etiam ab Adversariorum primariis & antesignanis, nobis multisque aliis præstantibus viris ob singularem animi pietatem, moderationem vitæ, ac doctrinam multiplicem, magnopere laudati sunt, Bonnam ad nos accersivimus, quo futuræ Reformationi viam quandam præpararem, & ad eam quasi gradum quandam faceremus: nihil aliud illis committendo, quam ut verbum Dei syncere & fideliter populo annunciarent: viamque quandam futuræ Reformationi præmunirent, abusus ac falsos illos impiosque cultus, quantum per divini verbi auctoritatem ulla ratione fieri posset, initio quidem notarent, commonerentque, quid in universa Religione, in Ecclesia Dei, in doctrina sacra sequendum & amplectendum potius foret, quam statim corrigendum, aut in ipso restaurandæ Ecclesiæ limine abolendum. Similiter simplicem quandam ac piam deliberationem⁷, qua ratione scilicet Christiana & in verbo Dei fundata Reformatio, usque ad futuram liberam & Christianam Synodum, generalem sive nationalem &c. institui possit, per pios quosdam ac fideles, non modo literarum scientia, sed etiam vitæ sanctimonia prædictos [B]

<12>

viros conscribi fecimus, in qua nihil aliud, quam certa quædam, pia, ac salutaris ratio doctrinæ, administrationis Sacramentorum, cæremoniarum, aliorumque ministeriorum Ecclesiasticorum, non modo Evangelicæ veritati, verum etiam Apostolicis vere Catholicis traditionibus consentiens describitur: ac velut forma quædam futuræ Reformationis simpliciter & fideliter delineatur.

Quæ omnia cum ita sint, cum in nullam propriam aut privatam aliquam utilitatem nostram, multo minus in damnum sive præiudicium alterius, sed in solius Dei gloriam, ac ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, facta ac proposita a nobis sint, cum nullius reprehendi actio, quæ quidem cum reparanda Ecclesia Dei coniuncta sit, debeat: Postremo cum omnis nostra cura, sollicitudo animi, atque diligentia in hoc defixa sit, ut languens ac prope deserta christiana Respublica in pristinum veræ ac solidæ Religionis statum, unde nuper deiecta est, salutari verbi Dei remedio restituatur, non licuit cuiquam, præsertim certis aliquot

⁷ Anspielung auf die „Einfaltigs bedencken“ (H. v. Wied, Einfaltigs Bedencken (warauff ein christliche ...) 1543).

hominibus ex Capitulo Ecclesiæ nostri, Cleroque ac Universitati Coloniensi prædictæ , ut tam præfracte & acerbe piis nostris conatibus se opponerent: quod nos pro restauratione collapsæ Ecclesiæ veteris, pro augenda & amplificanda gloria Dei, pro constituenda vera Religione, ex qua omnis nostra salus propendet, nobis sumimus, id in gravem, etiam falsam criminationem trahere, multo vero minus etiam a nobis contumeliose deficere, aliosque audaci confidentia ad similem defectionem, non precibus modo hortari, sed minis etiam ac aliis machinationibus impellere.

Nihilominus tamen præmissis omnibus non attentis, sed spretis potius ac neglectis, Adversarii sanctissimo huic instituto nostro, aut potius Dei ministerio manibus pedibusque restiterunt, quam plurima contra Reformationem nostram præ sumpserunt, fecerunt, & attentarum, in dies graviora præsumere, moliri, machinari, facere, attentare assiduis studiis conantur. Primum enim illi, qui prioris illius Reformationis provincialis Architecti fuerunt, una cum reliquis partium adversariarum primoribus antesignanis, partim suis contra iura veterum instituta acquisitis accumulatis sacerdotiis, vitæque licentiosæ metuentes, partim etiam quod eo sunt prædicti ingenio, ut nisi quod ipsi fecerint, nihil rectum putent, confestim mirabili inconstantia metamorphosi ex laudatoribus facti sunt acerbissimi vituperatores & hostes: suisque importunis clamoribus in Capitulo

<13>

Coloniensi eo rem prodixerunt, ut ipsis permissum sit nomine Capituli a nobis acriter summoque conatu contendere, quo accersitos Evangelii Doctores a nobis rursus ablegare, & a coepto Reformationis opere impie & inverecunde desistere velimus. Sed cum nulla bona conscientia eos quos noveramus Evangelium Christi pure & fideliter annunciare, tam inclementer indictaque causa ex Diocesi eiicere possemus, præsertim cum nulli essent, qui in locum illorum surrogari, quive populo gravi verbi Dei fame laboranti, & infinitis superstitionibus misere pereunti, utiliter & laudabiliter præesse possent: ac proinde non semel, sed multotiens Adversarios nostros rogassemus, audirent Concionatores verbi DEI, quos Ecclesiæ præfecimus: atque cum his pie & Christiano more proposita civili disputatione conferrent, quæ ad regendam & constituendam Ecclesiam Dei necessaria sunt, etiam arguerent ac damnarent, quæ in illis reprehendenda vitia criminaretur, ibi Adversarii hac deprecatione atque oblatione, licet æquissima esset, prorsus reiecta & explosa, Scriptum composuerunt, in quo multa illi de ratione vocandi, probandique Ministros Ecclesiarum, ex Scripturis & Canonibus congesserunt, quorum omnium ratio et doctrina, si iuxta Evangelium Dei, Prophetarum ac Apostolorum Scripta, ab iis hodie sancte & religiose coleretur, qui divina humanis miscent, omniaque prophanis cæremoniis, fabulis, pessimisque erroribus corrumpunt, & contaminant, rectius multo & tranquillius non solum in Ecclesia, sed universa Republica christiana omnia gererentur. Sed tamen Adversarii qui illa magis confutandæ, quam reparandæ doctrinæ Christi studio collegerunt, veriti forsitan, ne suis possessionibus, dignitatibus, & cæteris Ecclesiasticis beneficiis exciderent, accumularunt in eodem quoque scripto gravissimas in quosdam nostrorum Concinatorum criminationes, quarum eos ut convincerent, nullis nostris postulationibus aut efflagitationibus unquam adduci potuerunt. Quin etiam sub illud tempus, anno videlicet quadragesimo tertio [=1543], quo Provinciæ nostræ Coloniensis Ordines ad Comitium Bonnæ indicta conscripti fuerant, {quos etiam certi aliquot homines ex Capitulo nostro audaci sua autoritate præter nostram iussionem, & more veterem cum insigni nostri contumelia convocare conati sunt} idem Scriptum de ratione vocandi & comprobandi Ecclesiarum Ministros, non levibus criminationibus recitari fecerunt, quantaque potuerunt importunitate contenderunt, ut & cæteri Ordines pio & necessario Reformationis instituto resisterent, & una cum ipsis postularent, ut nos accersitos illos, qui [B ii]

<14>

synceram Christi doctrinam & disciplinam re ipsa restituere laborabant, a nobis removeremus. His enim ablegatis, facile a realise Reformatione tutos fore sperabant, scientes quam pauci in Diocesi Coloniensi pro Christo hac in re periclitari vellent, quam pauci quoque sint, qui aliquid in isto præstare ministerio valeant. Quanquam autem in hoc conventu Adversarii nullum non moverint lapidem, extremaque tentarint, quo cæteros Ordines, qui nobiscum consentiebant, a piæ & synceræ Reformationis instituto deducerent, & in societatem rebellionis adversus nos pertraherent, eaque de caussa non absque luculenta & insigni contumelia autoritatis nostræ cum Ordinibus seorsum invisitato more egerint, eos tamen quos accusaverant, ad respondendum coram obiectis criminibus admittere noluerunt, etiamsi defensio nemini deneganda sit. Quibus tamen rebus omnibus non commoti reliqui Ordines, constanter, ita ut bonos viros, & de Christi gloria, sui que Principis honore sollicitos decebat, in proposito perstiterunt: nec se a nobis, quos nihil nisi salutem ipsorum quærere noverant, abstrahi passi sunt. Sed liberum nobis permiserunt, ut ex ipsis & aliis viros pios & moderati ingenii deligeremus, communicato consilio rationem sive conceptam formam Reformationis prædictæ, una cum iis, quos ad hanc rem conficiendam delegissemus, latius expenderent, quæque ad commodissimam Ecclesiasticæ Reformationis rationem facere quoquo modo viderentur, latius statuere ac præscribere curarent. Quo facto Adversarii multo magis irritati inflammatique fuerunt, nec ullum finem aut modum fecerunt, non solum depravandi oppugnandique hoc nostrum institutum, sed etiam infamandi eos, quorum ad id opera utebamur, Eaque de caussa illorum vocationem & ministerium acerrime impugnarunt, in eoque Scripto pleno omnis arrogantiae & contumeliosæ reprehensionis, nos, qui de ipsis bene meriti sumus, nostrumque institutum sanctum multis probris onerarunt, Tametsi illi vocationem, innocentiam, & doctrinam suam optimis & firmissimis argumentis defenderant, idque libellis in publicum æditis sub titulo

Was Evangelium nun zue Bonne Im Ertzstiftt Coeln gelert und gepredigt wirdt etc. Item Die ander verthedigung unnd erklärung der Christlichen lehr in etlichen fürnemen heubtstucken, so dieser zeyt zue Bonn etc.

Quæ quidem Scripta nos hoc in loco & vice gravaminis, pro

<15>

iustificatione præsentis Appellationis repetimus, atque pro repetitis haberi volumus.

Itaque Adversarii his omnibus post habitis & contemptis, cum nos eodem anno secundum Conventum Provinciam indixissemus, & conscriptam Reformationis formulam {quam Capitulo aliquot ante diebus legendam inspiciendamque miseramus} Ordinibus Provinciæ exhibuissemus, precati ut singuli Ordines certos aliquot, eosque eruditos, tranquillitatis Christianæ amantes, bonos viros deligerent, qui cum iis, quos ad eam rem nos daturi eramus, conceptam a nobis Reformationem instituendæ Religionis perlegerent: omnia eius capita diligenti animi iudicio excuterent, sicubi opus esset, corrigerent, breviter, ita perficerent, ut verbo Dei quam maxime consentanea essent, atque ad restituendam Ecclesiis doctrinam disciplinam Christi quam efficacissime valerent, non solum hanc iustissimam & pernecessariam petitionem contemptim reiecerunt, verum etiam librum a nobis oblatum contumeliose criminati sunt, quasi innumerabilibus falsis hæreticis doctrinis præceptisque scateret, Cuius tamen rei ut fidem facerent, ac probationes adferrent, adduci nullo modo potuerunt, prætexentes angustiam temporis ad excutiendum librum non sufficientis, darique

sibi tempus longius postulabant, ut scilicet universam Reformationem, quominus ea piis ingeniis proponeretur, confutarent. Quanquam autem nos tam insidiosam dilationis petitionem reiicere optimo iure potuissemus, præsertim cum Adversarii librum fere quatuordecim diebus antequam reliqui Ordines inspiciendum accepissent, & præ meditati ad hanc causam accessissent, meritoque si quid habuissent reprehensione dignum, id coram aliis Statibus provincialibus proponere, ac in medium proferre debuissent, Cum iuris & moris sit, voces in communi, & non seorsum dare, quo maturior fiat deliberatio per congregatos. Ne tamen ulla in re vel Adversariorum voluntati defuisse: vel Sancti huius conatus progressum neglexisse videri possimus, placuit, ut Adversarii haberet duarum, aut si opus esset, quatuor septimanarum spacium, inter quod ea, qua improbarent loca in libro nostro, monstrarent, cur improbanda ducerent, simpliciter explicarent. Et vicissim quæ pro locis illis ex verbo Dei cæteris Ecclesiæ traditionibus adduci possent, semotis adfectibus & odiis religiose cognoscerent.

Verum Adversarii nihil minus in animo habentes, quam curare, [B iii]

<<16>

ut pia & sincera Reformatio constitueretur, sed potius omni animi impetu in id incumbentes, ut plæraque etiam reclamantibus conscientiis damnarentur, composuerunt librum, quem „Antididagma“⁸ inscripserunt, in quo nihil aliud agunt, quam ut prænominatam formulam instituendæ ac reformandæ Ecclesiæ propositam, in universum improbant, quæ a nobis de sententia sacrosancti Evangelii, Prophetarum & Apostolorum pie & recte conscripta, etiam ex veteribus Scriptoribus in exemplum reparandæ Ecclesiæ desumpta atque tradita sunt, arguant: sua omnia commendent, nihil denique probent, nisi quæ falsis hominum opinionibus in Ecclesiæ usum inducta sunt. Itaque præfixa est eidem libro præfatio gravissimarum ac falsissimarum criminationum plena, in qua, odio nimirum Christianæ & solidæ Reformationis commoti, eo etiam prolabuntur dementia, ut asseverare palam in ea non vereantur, malle sese immanissimo & hæreditario ac insatiabili Christiani sanguinis hosti Turcæ dedere, illiusque crudelissimam & foedissimam servitutem, & in omni memoria inauditam tyrannidem ferre, quam a concepta semel sententia vel quicquam discedere: vel se cum Protestantibus {quos sectarios vocant} coniungere, aut denique piam Ecclesiæ concordiam resarcire, id quod in processu causæ latius deducetur, ac singulatim amplius suis loco & tempore congruis & oportunitis declarabitur & ostendetur.

Neque hac facti indignitate atque insolentia contenti fuerunt Adversarii, sed etiam illum librum paulo post primum Germanice, deinde latine magnifico cum titulo typis excudi, ac ubique locorum divulgari ac venundari fecerunt. Quæ res, quoniam apud imperitam plebem videbatur doctrinæ divortium dissensionemque ad deterrendas vel saltem confundendas pavidas conscientias gignere posse: commonuimus rursus, ut ex omnibus Provinciæ ac Statuum Ordinibus certi aliquot boni viri deligerentur, qui causæ huius dimicationem componerent, statuerentque quid amplectendum aut fugiendum in tota nostra conscriptione putarent, Interim quo minor esset confusio, editionem „Antididagmatis“ remorarentur: darentque hanc operam Iesu Christo, & eius Ecclesiæ, ut quæ ad veram & solidam doctrinam pietatemque pertinerent, summo studio perficerent.

Sed hæc tam pia commonitio, & causa Iesu Christi nihil valuit apud Adversarios, quo minus illi non solum indignis iniuriis ac

<17>

contumeliis, quæ in usum ac doctrinam veræ Ecclesiæ concepta ac proposita a nobis fuerant, inverecunde afficerent, verum etiam ad Cæsaream Maiestatem, & Romanorum

⁸ (Gropper/Billick 1544).

Pontificem ad inflammandum eorum animos literas dederunt, quibus nos atrocissime accusarunt. Nec multo post his omnibus adiecerunt turbulentam, frivolum, & temerariam Appellationem, in qua nihil illi atrocissimorum criminum prætermiserunt, quod non in studia atque actiones nostras incredibili impudentia, perveracia, atque adeo impietate singulari effuderunt, nempe nihil nos cum Ministris nostris, sprete omni ratione legis divinæ, sanctorum Canonum, Muneris Episcopalis, atque decretorum Imperialium, quæ ipsi subscripserimus, agere aliud, quam ut in Coloniensi Provincia dissensiones, æmulationes, rixæ, sectæ, & novæ subinde ac violentæ turbationes divini cultus excitentur, Unde Ecclesiæ Metropolitanæ vastatio insignis, Dioceseos indubitata eversio, almæ Universitatis interitus, Catholicæ Religionis extirpatio, omnis obedientiæ dissipatio, rerum omnium horribilis confusio, denique totius inferioris Germaniæ ruina sit consequutura.

Et ut brevi oratione, quæ volumus, quæque causa postulat, dicamus, Adversarii nostri Provinciales Ecclesias sine ulla intermissione sollicitant, instigant, impelluntque, ut suæ impiæ Appellationi adhæreant, prout & quasdam circumiacentes Ecclesias importunis suis instigationibus eo audaciæ & impietatis commoverunt, ut interpositæ Appellationi sese adiunxerint: nihilque non faciunt, ut Reformationem pie inchoatam radicitus extirpent, verbum Dei, & renascens Evangelium rursus opprimant, populo superiores abusus obtrudant, horribiles idolatrias in usum revocent, veros cultus Dei abrogent, superstitiosas cæremonias restituant, rectam doctrinam piis mentibus eripiant, seditiones concitent, defectionem parent, Denique ut nos in hac sollicitudine ac summa cura restituendæ ac reparandæ Ecclesiæ singulari cum impietate non solum turbent, inquietent, & molestent, verum etiam omni dignitate exuant, tandemque ex universa Diocesi eiiciant.

Cum itaque omnia & singula præmissa, sic ut præmittitur, se habeant, & Adversarii, ut dictum est, nostrum hunc conatum & studium reparandæ Ecclesiæ in gravissimas, falsas, & impias criminationes adducant, eiusque odio commoti nos diversis exquisitis mediis multipliciter molestarint, vexarint, inquietaverint, & turbaverint, ac molestent, vexent, inquietent, impediant, & faciant quominus dicta Reformatio [B iiiii]

<18>

in usum Ecclesiæ adduci possit: Et quod gravius est, commoveri nulla pietate queant, ut quæ ad turbulentam seditionem vergere videant, ab illis sibi temperent, sed contra indies magis magisque conspirationem adversus nos excitent, & ad quosdam Comites, Nobiles, Oppida, Civitatesque nostras literas dent, quibus sollicitant & adhortantur, ut a nobis tanquam Domino suo, atque ordinaria potestate ad ipsos deficiant, sicut illa verba ad Senatuum & populum Civitatis kemponæ [=Kempen], & plærosque alios nostros subditos scripta, & per totum nostrum Archiepiscopatum dissipata clare testantur.

Ir neben den andern Stenden unnd gemeine Landtschafft bei uns dem Capitel pleiben, und uns gehorsam sein, und dem Hern und den seinen nicht.

Et interim Canonibus caveatur, ut Clericus suo Episcopo inobediens, aut ei insidias parans, aut contumeliam, calumniam, aut convicia inferens, deponi debeat, præsertim cum incorrigibilis sit, sitque insuper iniunctum Episcopo, ut Clericos ab insolentiis arceat, magna nobis & necessaria causa est, quamobrem huius insignis iniuriæ indignitatem ab Ecclesia Dei, honestissimisque institutis arceamus atque propellamus, præsertim cum hactenus Adversarii in repurgandis vitiis non solum præfracte contumaces, sed etiam negligentes & supini fuerint & sint, cautumque Canonibus sit, ut si Suffraganeus, aut Capitulum non faciat ea, ad quæ tenetur, quod tum Archiepiscopus eo invito supplebit vicem illius, & in Parochia ordinabit Clericos, ac

Ministros instituet in Ecclesiis &c. Habemus enim nos Iurisdictionem Ordinariam, cogimurque; inprimis Deo reddere rationem nostræ villicationis: quod et eo magis consyderare nos oportebat, quod senex & exactæ fere ætatis simus, & proxime apud Deum migraturi, quodque tanquam Princeps Elector una cum Statibus Imperii Ratisponæ promiserimus Reformationem nostræ Ecclesiæ constituturos nos esse. Quæ si omnia, ita ut dictum est, non forent, si ulla honesta ratione mutare institutum possemus, tamen constantiæ gravitatisque nostræ non erat, contra rectam conscientiam nostram, cui semper etiam contra superioris potestatis iussum obtemperandum est, agnitam veritatem vel deserere vel vere res abusus restituere. Ad hæc, cum iure permissum sit, ut Episcopus solus requisito consilio Capituli, licet non habito consensu, veterem ritum aut consuetudinem tollere possit per suum Statutum, si valde enorme præiudicium patiatur Ecclesia. Et notissimum sit ex

<19>

antiquis ritibus & observantiis incredibile damnum & periculum animarum Ecclesias nostras passas esse, & longe gravius, si restituerentur, passuras fore. Denique cum iure Canonum expresse caveatur, posse Episcopum, si iniuste in iure suo Episcopali gravetur aut molestetur, aut verisimiliter molestari timeat aut turbari, Appellare ad Generale Concilium, idque maxime, & ante omnia procedat in causa fidei & Religionis, in qua Concilium & non Papa debeat esse iudex. Cumque ipse Pontifex, cuius proprium officium est, certam Christi doctrinam in Ecclesia retinere, nullo animi iudicio, sed pessimorum hominum criminationibus falsis adductus, indicta causa hæreseos nos atque furiosæ insanix damnaverit, impiumque Hæresiarcham, & Archiepiscopi nomine indignum famoso Scripto nominaverit. Postremo cum in multis Comitibus per Cæsaream Maiestatem & reliquos Ordines Sacri Romani Imperii pragmatica sanctione constitutum sit, quod istæ & consimiles fidei & Religionis controversiæ non aliter, quam in libero, christiano, ac in Germania indicendo Concilio amicabiliter conciliari & concordari debeant &c.

His omnibus de causis indignissimisque iniuriis commoti nos & quod intelligamus non solum nos, Ordinesque ac reliquos Status nostros, & quicumque nobis adhærent, verumetiam reliquum imperii Ordines, qui præmissis pragmaticis sanctionibus interfuerunt, eisdemque subscripserunt, per præmissa multipliciter & gravissime loesos, gravatos, oppressos, & contemptos, veriti etiam eos in posterum gravius lædi, gravari, opprimi, & contemni posse, propterea quod iidem Adversarii non contenti sunt gravissima nos contumelia affectos esse, sed etiam in eam inverecundam animorum impotentiam coniecti sunt, ut eos, qui nobis tanquam Domino suo atque ordinario Episcopo iurisiurandi Religione obstricti sunt, veluti quidam ex Capitulo nostro, Clero, & Universitate, etiam nostri Consilarii, Commissarii, Vasalli & alii, impie cogant præter datam fidem, præter naturæ obligationem, præter iusiurandum sese interpositæ Appellationi ipsorum contra nos inscribere, & eius se consortes facere. Præter hæc quoque conantur contra omnem ordinariam potestatem, ius divinum atque humanum, inquisitionem in omnes eos, qui nostram Reformationem, doctrinam piam, & salutarem Ecclesiæ administrationem amplectuntur, proponere. Qua facti odiique indignitate quid dici potest crudelius? Incivile & inhumanum esse iudicant leges civiles, servum hominem contra suum Dominum habere testimonii dictionem, sed Adversariorum crudeli edicto nostri aliquot homines {ut iam dictum est} coguntur in perniciem nostri ipsorum Domini inscriptionem

<20>

facere. His aliisque de causis, gravissimisque iniuriis nos omnibus melioribus, modo, via, causa, forma, quibus melius et efficacius possumus & debemus, pro nobis ac nostris, omnibusque aliis & singulis huic Appellationi adhærentibus, porro adhæsuris, a præmissis turbationibus, impedimentis, molestationibus, diffamationibus, iniuriis, conspirationibus,

molitionibus, conaminibus, instinctu magis quorundam factiosorum hominum, quam unanimi consensu totius Capituli, Cleri, Universitatis successive factis & illatis, fiendis & inferendis, una cum omnibus singulis emergentibus, incidentibus, annexis, et connexis, astisque et actitatis et processibus quibuscunque præmissorum occasione quomodolibet factis et sequutis, ac in posterum forsitan sequuturis, cæterisque gravaminibus quibuscunque, a prædictis Adversariis, omnibusque aliis & singulis sua quo modoliget communiter vel divisim interesse putantibus, inflictis, ad huc perdurantibus, & in posterum forsitan infligendis comminatis, ad liberum, Christianum, Generale in Germania celebrandum Concilium:

vel si id haberi non possit, ad Nationale, aut Imperialem Conventum, tanquam legitimum in causa fidei & Religionis nostræ iudicium, coniunctim & divisim in his Scriptis provocamus appellamus, nobisque a vobis, qui huic actui interestis, pariter etiam a vobis Notario publico, seu alio quocunque, qui nobis dare & concedere potuerit valuerit, Apostolos saltem testimoniales, primo, secundo, tertio, instanter, instantius, instantissime, sæpe, sæpius, sæpissime dari petimus repetimus, submittentes & subiicientes nos, reliquosque nostros Status, obedientes Ecclesias, totam Provinciam, quoscunque nobis adherentes, adhærere volentes nec non singulares personas eorundem, illorum omnium res, privilegia, libertates, iura, Regalia, feuda, dignitates, Statuum negotii præsentis, singulari tuitioni, defensionis & protectioni prædicti liberi Christiani & Generalis seu Nationalis Concilii, aut Imperialis conventus. Insuper adversus omnes et singulos cuiuscunque Status, conditionis et dignitatis fuerint, qui huiusmodi Appellatione pendente, adversus nos nostram Metropolitanam Diocesim, Ordines, Status subditos adhæreres vel adhæsuros, eorumque bona et res, quicquam quomodolibet temerario ausu attentare præsumperint, solenniter publice et expresse protestamur de nullitate et poenis huius modi innovatoribus et attentatoribus in iure comminatis, eo ipso incurrendis, deque intimando, insinuando, et prosequendo

<21>

hanc appellationem nec non causam & causas huiusmodi præactas, loco & tempore congruis & oportunis, salvo iure addendi, minuendi &c. & aliam Appellationem & Appellationes denovo interponendi, prout iuris & moris fuit & est. Super quibus unum vel plura Instrumentum vel Instrumenta in publica & authentica forma nobis conscribi petimus: vosque omnes, qui hic adestis ad hanc rem convocati, in horum omnium, quæ acta sunt, testes adducimus & interpellamus.

FINIS.

Et ego Ioannes Rutgeri de Arvviler, Clericus Coloniensis, Publicus sacra Imperiali auctoritate Notarius, et secularis Iudicij Bonnensis Secretarius. Quia prædictæ Appellationi, & Apostolorum responsioni, omnibusque alijs & singulis, dum sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, una cum testibus prænominatis interfui, Eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum in octo folijs præcedentibus, manu alterius, me interim aliunde legitime præpredicto, fideliter conscriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, Signoque Nomine, et Cognomine solitis & consuetis signavi, in Fidem, et Testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus pariter & requisitus.

Literaturverzeichnis

- Billick, Eberhard. *Iudicii universitatis et cleri Coloniensis ...* Köln: Jaspar Gennep, 1545.
- . *Iudicium cleri et universitatis Coloniensis de doctrina ... Bucer.* Köln, 1543.
- . *Urteil der Universiteit und Clerisie zue Coelne von Maertin Buecers lerung ...* Köln: Jaspar Gennep, 1543.
- Bucer, Martin. *Der cxx. psalm. ein danck- und betpsalm ...* 1546.
- . *Die ander verteydigung und erklerung.* Bonn: von der Mülen, 1544.
- . *Doctrina. De praedestinatione, causa peccati ...* 1542.
- . *Ein christlich ongefahrlich bedencken.* 1545.
- Bucer, Martin et al. *Ratschlag ob christlicher Oberkait gebüren möge, das sye die Juden ... zu wonen gedulden.* 1539.
- Bucer, Martin. *Schriften zur Kölner Reformation, Teil 1-3.* Herausgeber: Strohm/Wilhelmi. Gütersloh: Gütersloer Verlagshaus, 1999.
- . *Was evangelionn nun zu Bonn.* 1544.
- . *Was im namen des heiligen evangelii.* Bonn: von der Mülen, 1543.
- . *Was im Namen des heiligen Evangelii.* Marburg: Bastian, 1543.
- Deckers, Matthias. „Hermann V., Graf von Wied, Erzbischof und Kurfürst von Köln.“ In *Einladungsschrift zu der öffentlichen Prüfung der Schüler des Katholischen Gymnasiums zu Köln am 13. und 14. September 1837*, 1 ff. Köln, 1837.
- Gropper, Johann. *Christliche und catholische gegenberichtung eyns erwirdigen dhomcapitels ...* Köln: Jaspar Gennep, 1544.
- Gropper, Johannes. *Christliche und catholische Gegenberichtung 1544.* Herausgeber: Thomas Wilhelmi. 2006.
- Gropper/Billick. *Antididagma seu christianae et catholicae religionis ... propugnatio.* Köln: Jaspar Gennep, 1544.
- NN. *Warhaffte erzelung der geschicht welcher gestalt ... Hermann Ertzbischoff zu dem werck christlicher Reformation komen ...* Bonn: von der Mülen, 1546.
- Petri, Franz. „Im Zeitalter der Glaubenskämpfe (1500-1648).“ In *Rheinische Geschichte, II: Neuzeit*, Herausgeber: Petri/Droege, 1 ff. Düsseldorf: Schwann, 1976.
- Schult, Sabina. „Die Reformation in Köln und der Region.“ 2017. <http://2017.kirche-koeln.de/page.php?navi=111> (Zugriff am 10. Feb 2022).
- Sommer, Rainer. *Hermann von Wied, I (1477-1539).* Köln: Rheinland, 2000.
- . *Hermann von Wied, II (1539-1543).* Köln: Rheinland, 2013.
- . *Hermann von Wied, III (1543-1545).* Köln: Rheinland, 2020.
- Wied, Hermann von. *Abscheidt in namen des hochwirdigsten Ertzbischoffen ... Bonn.* Bonn, 1545.
- . *Appellatio contra certos quosdam homines.* 1545.
- . *Appellation wider etliche leut.* Bonn: von der Mülen, 1545.
- . *Bestendige Verantwortung auß der Heiligen Schrift ...* Bonn: von der Mülen, 1545.
- . *Christliche Verbesserung der Creutzgheng ...* Bonn, 1543.
- . *Des Ertzstifts Coeln Reformation, dere weltlicher Gericht, Rechts und Pollicey.* Köln: Quentell, 1538.

- . *Des hochwürdigstenn Fuersten und herrn ... Hermans ... christliche ... Appellation.* Bonn, 1547.
 - . *Einfaltigs Bedencken (warauff ein christliche ...).* 1543.
 - . *Ejn offene schrift, so unser gnedigster Herr der Ertzbischoff zue Coellen ... außgehn lassen.* Bonn, 1547.
 - . *Nostra Hermanni ... simplex ac pia deliberatio.* Bonn: von der Mülen, 1545.
 - . *Warhaffte erzelung der geschicht welcher gestalt .. hermann .. zu dem werck christlicher reformation komen.* Bonn: von der Mülen, 1546.
- Wilhelmi, Thomas. „Rez. Schlüter Flugschriften.“ *sehepunkte.de*. kein Datum. www.sehepunkte.de/2006/11/8700.html (Zugriff am 07. Feb 2022).

^a Fundstellen: BSB München, Signatur 2H.ref. 40#Beibd. 3; und SBB Berlin, Signatur 7 in: 2" Dg 3901.